



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

Annuae Litterae Societatis Iesv Anni. M. D. LXXXV. Patribvs, Fratribvsq.  
Societatis Iesu, gratia, & pax Christi Domini, &c.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67132)

3  
ANNAE LITTERAE  
SOCIETATIS IESV  
ANNI. M. D. LXXXV.

PATRIBVS, FRATRIBVSQ.  
Societatis Iesu, gratia, & pax  
Christi Domini, &c.



**I**NGREDIMVR P. F. Q. C.  
huius seculi annum quintum & o-  
ctogesimum, ingentem latitiae sege-  
tem ac mœroris. Latitiam attulit  
nouum ac præclarum ad summum  
Christianæ religionis Antistitem le-  
gationis genus, cum Rex Bungi Franciscus, & Rex  
Arimensis Protasius, Omuraq. Princeps Barpto-  
lemæus, nostro hoc seculo ad Euangelij lucem voca-  
ti, Mantium & Michaelem spectatissimæ virtutis  
adolescentes, et sibi sanguine coniunctissimos ad ex-  
hibendam suo nomine obedientiam Gregorio XIII.  
Pont. Max. publicis cū litteris huc miserunt. Quid  
enim Societati lætius, celeberrima in Vrbe conspi-  
ci primos quosdam Iaponicæ Ecclesiæ fetus, quos  
Christo IESV suis ipsa laboribus procreasset? eosq.  
ingentibus vniuersorum studijs, infinito multitudi-  
nis plausu, incredibili tum Antistitum omnium, tū  
A 2 Summi



Summi Sacerdotis gratulatione susceptos, omni officiorum genere, omni honore iudicioque decorari latebant antea in ultimis terrarum angulis præclara à Societate res gesta, & modicis circūscriptis finibus, tot marium immensitates transmittere, tot terrarum spatia superare vix poterant. itaque per paucorum aures in Iaponia quid gereretur acceptant, pauci disseminatissima illius Ecclesie incrementa cognorant: tantum ex ijs locis fama ac rumor afflat, quantum vel rari nuntij, vel muta nostrorum littera pertulissent. At postquam nobilissimorum Regum legati ac propinqui è suis profecti sedibus obire terrarum orbem coeperunt, & quacumq; iter facerent, vniuersa sui nominis fama complere, tū demum excitata sunt hominum studia, vt quæ vel nunquam nouerant, vel minus explore nouerant, curiosius de Iaponia requirerent. Quid porro ad hominum famam ac voluntatem maius, quam primorum nostrorum Patrum curas, tot annorum spatijs pro Iaponia ipsa susceptas, hoc vno tempore representari vniuersas; agnosciq; eius Ecclesie quasi parentem Societatem nostram, qua Deus in illis locis ad discutiendas ethnicæ vanitatis tenebras vsus sit administras? Sed in tam vberi læditie voluptate, quæ est inconstantia rerum humanarum, ecce tibi turbatis repente rebus, ne letioribus forte euentibus efferremur, mæror ingens, et par luctus exoritur. Cecidit enim is, qui spes nostras alebat Gregorius præstari bonitate Pötifex à quo sine externa quæ detulit cōmoda, siue immunitates et iura, qui-



bus nos auxit, siue per honorifica iudicia, quae de  
 hoc ordine sepe fecit, animo repetamus; plura for-  
 sit ab eo ad nos profecta reperiemus, quam si ex  
 hac ipsa familia Pontifex produisset. Atque ut à mi-  
 noribus ordiamur, Vaticano Penitentiario Colle-  
 gio cum pertenuè vectigal esset, amplificauit. Noui-  
 tiorum domui præter alias liberalitates, annuos dedit  
 reditus in perpetuum, diuturnasque pensiones. Professorum  
 Patrum domum, quam aliena misericordia sus-  
 tentat, statis anni temporibus ita leuabat, ut ratio-  
 ne imita dati eris, reperta sit summa aureorum mini-  
 mum sex millium. Quid de Romano Collegio dicam?  
 quoties ei in egestate subuenit, cum vectigal esset  
 nullum, unde tantæ familie numerus alii possent. Iace-  
 bat in squallore ac sordibus summa miseria, res  
 erat angustissima domi, spes foris asperior, ingens  
 as alienum, quotidiana & sempiterna cura quaeren-  
 di victus ac cultus, itaque cum ad extrema iam ven-  
 tum esset, nihil aliud reliquum erat, nisi ut consiliū  
 de minuendo tam Collegij, tum Scholarum nume-  
 ro caperetur. Quod ipsum nihil erat aliud, nisi vni-  
 uerse Societatis Seminarium, & celeberrimæ Aca-  
 demia florē extinguere. Sed desperatis prope rebus  
 & in angustum adductis, præsto fuit pietas tam li-  
 beralis Patris, et Collegium hoc ex vltima pauper-  
 tate ad honestum quendam & mediocrem fortuna-  
 rum statum erexit. suppeditare cepit per interualla  
 sumptus, sarcire præteritis mendicantis incommo-  
 das, sic fouere melioris fortunæ, dum ad extremū  
 vectigal annuū aureorum quinque millium in sem-



piternum tempus assignauit. Erat ei in animo cura  
 amplificatione vectigalium, ipsam quoque augere sa-  
 miliam: eamque ob causam à fundamentis noua te-  
 eta construere. inspexerat suis ipse oculis veteris ha-  
 bitationis angustias, viderat impendentes ruinas: et  
 patria quadam miseratione ductus, egregium opus  
 multis coemptis & solo aequatis edibus inchoauit.  
 Quod ut ad exitum perduci posset, annuas pensiones  
 dedit ad annum vsque vigesimum aureorum septem  
 millium. Nec in hoc eius liberalitas confedisset, si  
 vel vita suppeditasset, vel ne materia daretur inui-  
 dia, interrumpendum paulisper liberalitatis cursum  
 existimasset. Longum sit iter ad omnia, si quæ His-  
 pania, Gallia, Germania, varijsq. Societatis locis  
 beneficia contulit, singillatim enumerare velim. Pe-  
 netrauit eius benignitas in Iaponiam, & quatuor  
 aureorum millia cum in Nouitiorum domum, tum  
 in varia Seminaria Iaponicæ iuuentutis attribuit.  
 Sed cum multa & magna sunt, quæ in tanta eius er-  
 ga nos beneficentia ad vitam & corpus pertinent, in  
 vero plurima & maxima, quæ ad animarum fru-  
 ctum, et ad tuendam dignitatem valent. Nam ut  
 multa, quæ decori esse poterant, cum ceteris ordini-  
 bus nobis voluit esse communia; sic quæ oneri fore  
 videbantur, ea vel demenda curauit, si iam essent im-  
 posita, vel ne aliquando imponeretur, suis diplomatis  
 cauit. Quot ille immunitates, quot exceptiones de-  
 dit, quam multa, quæ Superiores sunt elargiti Pon-  
 tifices, vel auxit, vel confirmauit? Quot in rem no-  
 stram præclare sanxit, decreuit, interpretatus est?



Sexdecim extant Apostolicarum litterarum publi-  
 ca testimonia, quibus vel ab ijs nos onerib. eximit,  
 qua institutis nostris ac legibus refragantur, vel ijs  
 nos commodis auget, qua cū ad familia nostra de-  
 cუსtum ad res gerend. s. peropportuna sunt. Non  
 faciam vt singula diplomata plena his immunitati-  
 bus exceptionibusq. percurram: patent omnibus  
 & sunt in promptu. Illud vnum sit instar omnium,  
 quo disciplina nostra rationem institutumq. sic ap-  
 probat, vt aduersarijs, a quibus id quoquomodo po-  
 terat oppugnari, sempiternum silentium indix erit,  
 qua res quam salutaris nostris fuerit, & iam satis  
 intellectum est, et quotidie magis intelligetur. Age  
 vero que fuit Gregorij de familia nostra semper opi-  
 nio? qui sermones, qua iudicia? quoties nos ab inui-  
 dorum sermone defendit? quoties nostra fama di-  
 gnitatiq. consuluit? vt non minus ipse de existi-  
 matione nostra, quam nos ipsi, videretur esse solici-  
 tus. Quid loquar facillimos ad eum aditus, qua bene-  
 uolentia semper nostros admitteret & audiret? qua  
 paterne nostris vel angeretur incommodis, vel exul-  
 taret in rebus letis? Quando vnquā se se obtulit oc-  
 casio adhibendi nostros ad publicas causas, quam  
 ille dimiserit? Extruebat noua in Vrbe Collegia, &  
 eorum procuratori, quos præter nostros, vel sepe  
 reluctantes præficeret, non quærebat, mittendi erāt  
 in peregrinas & longinquas nationes, qui res Ecce-  
 lesiæ componerent; nec aliunde nisi è vostro numero  
 petendos existimabat. Is ad Iacobitas, ad Coptos,  
 ad Maronitas, ad Græcos, ad Anglos è nostris misit



Is Sacerdotem item nostrum Apostolica Sedis nomine legavit ad Suecos, ad Sarmatas, ad Moscovitã. Is plurima ex adolescentibus contubernia ad Ecclesiã Catholicã propugnaculum excitata, vel administranda nostris tradidit, vel nostrorum censuit legibus temperanda. non enim modos, quæ in Vrbe cernimus, sed alia quoque multa, quæ proximis litteris enumerauimus Seminaria, nostrorum fidei, curaq. commisit. Quibus tot tantisq. à Gregorio in Societate positis beneficijs, simul ac nuntiata mors eius est, quæ præter omnium opinionem accidit, existimari potest, quam ingens moror, omnium animos occuparit. ingemuimus vt decuit eius occasu, & subita recordatione tam benefici patris acerbas lacrimas fudimus. Parentauimus vt parenti: & in eius morte publico luctu celebranda, habita est à nostris ad Apostolorum Petri & Pauli in omnium Cardinalium corone funebris laudatio: vt qui tot ab eo essent in omnium oculis ornati instructiq. muneribus, ab ipso etiam mortui laudes in luce conspectuque omnium celebrarentur. Verum, quamquam maior videbatur is dolor, qui ex eius interitu captus est, quam vt temporis medicina leniri posset; tamen ea nos consolatio sustentat, quod & si propensa illa Gregorij in nos voluntas, vna cum morte pariter occidit; Deus tamen, in quo pridem spes nostras fiximus, nunquam moritur: quem speramus mentem illam protegendã; tuendãq. Societatis, quam Gregorio dederat, eius quoque successoribus



bus donaturum. Nec inanes spes nostra erunt, ut  
 Sixti pollicentur initia. Qui non modo verbis  
 amantissimis, cum P. N. Generalem priuatim  
 alloqueretur, sed etiam re ac subsidio, quanta sit  
 illi cura Societatis, ostendit. Is cum in tanta inuido-  
 rum multitudine, quanta noui Pontificatus occasio-  
 ne subito in nos erupit, nobis ipsis mirifice fauit, quo-  
 ties opus fuit; tum Iaponicorum Regum Legatis, So-  
 cietatis fœtibus & Alumnis, omne genus honoris  
 habendum putauit: abeuntesq. non modo omni mu-  
 nerum varietate profecutus est, sed in eorum quoq;  
 gratiam ad annuos Gregorij redditus aureorū quat-  
 tuor millium, addidit duo millia, perpetuosq. ex tem-  
 porarijs fecit. His inityjs, proximi qui consequuntur  
 anni, consentient, ut annuę propediem littera decla-  
 rabunt: nec dissimiles futuri sunt reliqui, Deo propi-  
 tio, modo eius bonitati serio atque ex animo seruiat-  
 tur. Sed his missis exordijs, quæ fuerint huius anni  
 fruges, quiq. huius status ordinis videamus. Ini-  
 tus est nostrorum numerus ex his litteris, quas ac-  
 cepimus, exceptis ijs, qui animorum causa domo  
 absunt, quorum haberi certa ratio non potest, sex  
 millia ac nonaginta tres. Desiderata sunt autem In-  
 dica & Peruana Prouincia, sat suis vtraque refer-  
 ta Socijs. non enim licuit per locorum interualla, cū  
 diu multumque otiosis à nobis expectatum sit, ab  
 vnaquaq. suum quasi pensum exigere, itaque ad-  
 mirationi mora nostra non erit, qui dum pleni abso-  
 lutiq. esse volumus, nec partem vllam Societatis  
 reliquam facere, quæ non his litteris comprehenda-



tur, coacti sumus, & hæc edere nondum opere per-  
soluto, & carissimorum nihilominus fratrum expe-  
ctationem diu suspensam tenere. Dormie-  
runt in Societate centum vndetrigin-  
ta. Aggregati sunt quadrin-  
genti & octoginta.

